



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Hermanni Conringii De Pace Civili Inter Imperii Ordines Religione Dissidentes Perpetuo Conservanda Libri Duo**

**Conring, Hermann**

**Francofurti ; Lipsiae ; Wittebergae, 1680**

V. Principibus politicis nulla juris dictio Ecclesiastica competit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9585**

## V.

*Principibus Politicis nulla jurisdictio Ecclesiastica competit.*

Duplex est potestas in Ecclesia, ut explicat Suarez lib. 3. adversus Regem Angliæ cap. 7. Una ordinis ad sacrificandum & administranda Sacramenta, Altera Jurisdictionis, tum in foro interiori ad remittenda peccata, tum in exteriori ad regendam Ecclesiam Dei, quæ huc spectat. Neutrius secundum se capaces sunt Principes & Magistratus politici, ut fatentur omnes Catholici: quia potestatem Spiritualem à politica secundum veræ fidei regulam distinguunt. Tam ergo non possunt Principes potestare politica quidquam statuere de juribus Religionis & Ecclesiæ, quatenus illa dimanant à jure pascendi oves Christi, quod accepit Petrus. jo. 21. v. 15: quam non possunt exercere illum actum Ordinis. Neque his in rebus necessitas error aut opinio tribuit jurisdictionem, ut in civilibus & in politicis arg. l. Barbarius, ff. de Officio Prætor, tribuere existimatur. Jura enim Religionis & Ecclesiæ gubernandæ non dependent ab arbitrio humano, sed divino: quod dispositioni vel ratihibitioni humanæ non subjacet, nisi quatenus Præsidibus Ecclesiæ Deus concessit. *Ideo vana & irrita sunt, quæcunque Principes & Potestates Seculares de rebus spiritualibus, & ad forum Ecclesiasticum spectantibus statuunt, etsi summaratione (imo & necessitate) nitantur, idque propter defectum potestatis & juris dictionis,* Ita Conradus Brunus lib. 3. de hæres. c. 17.

## VI.

*Quod ex se peccatum est necessitas licitum non facit.*

Duo id juris naturalis & divini principia persvadent. Unum explicat Christus Matth. 16. v. 26. *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, anima vero sua detrimentum patiat;* Nulla ergo tanta jactura est, pux peccato redimi debeat